Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36661
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

In annuntiatione beate virginis quod utile est eam sa-
lutare et de Ave.

Ave gratia plena. Hec est salutatio qua Ga-
briel gloriosam virginem salutavit.
Salutemus et nos eam. Scit enim scriptum in Eccl.:
Erubescite a salutationibus et silentio. Si non
salutat in presenti tamen in futuro. Si non hic
coram hominibus in terris, tamen ibi coram angelis in
celis. Unde valde utile est eam salutare. Sa-
lutavit eam angelus et factus est eius paranimphus.
Elizabeth et repleta est spiritu sancto. Iohannes exultavit
et exultavit in gaudio et sanctificatus est ut cre-
ditur eodem momento. Quomodo autem eam salutemus
docet angelus dicens: Ave etc. Hec est salu-
tatio iocundissima que non est ab homine in terris sed
a deo in celis edita et ab angelo virgini gloriose
delata. Hec est plena tanta dulcedine ut
nemo plene valeat exprimere. Quia primo verbo
angelus invenit est dicere ave. Ave est verbum defec-
tivum quia omnes in laude tam salutationis quam
salutare deficiunt. Eccl.: Multa dicimus et de-
ficimus, consummatio verborum ipse est. Unde Ier.: Quod
natura non habuit, ratio ignoravit, mens non
capit humana, pavet celum, stupet terra,
creatura omnis etiam celestis miratur. Hoc totum est
quod Marie per Gabrielem divinitus nuntiatur et per
Christum adimpletur. Dicitur enim Ave contraria omnino est
Ve. Per illam intravit mors in mundum. Per te
vita redditur mundo. Per illam eiecti sumus a
paradiso in paupertatem, vilitatem, laborem. Per te
reducimur ad celestes divitias, delicias et ho-
nores. Sequitur: Gratia plena. Vere plena
quia ut dicit Ier.: Ceteris per partes prestatur. Marie
vero se totam infudit plenitudo gratie. Bene ergo
dicitur plena. Vas plenum facile inclinatur quod li-
quorem effundit. Sic nos eam humiliter implo-
rando facile inclinamus quod gratiam impetramus.
Ideo nullus desperet sed cum fiducia ad eam ac-
cedat, ut dicit apostolus: Accedamus cum fiducia ad thronum gratie
ut misericordiam et gratiam inveniamus. Thronus gratie est
beata virgo ad quam accedere debemus cum fiducia

magna quia eius misericordia est maxima. Bernardus: Quis misericordie
tue o benedicta queat investigare longitudinem,
latitudinem, sublimitatem et profundum? Nam longitudo pre-
tenditur usque ad novissimum diem. Latitudo
replet orbem terrarum ut tua misericordia plena sit
omnis terra. Profundum eius penetrat abyssum, id est de-
speratos peccatores qui etiam deum abnegaverunt
et se ipsos dyabolo dederunt, quos ipsa in sinum
misericordie suscipit et cives celestes facit,
ut patet in Theophilo et aliis multis. Gladium enim
extractum et arcum contra eos tensum ipsa potenti
manu tenet et sententiam mortis mutat et vitam
eternam eis confert. Sublimitas misericordie eius transcen-
dit celos et forte tanta est quanta omnium
sanctorum et angelorum. Unde Cant.: Equitatui meo, id est sanctis
et angelis meis, assimilavi te, amica mea, ut sola tamen
possis quantum omnes. In curribus, id est contra currus Pha-
raonis, id est dyaboli, quo ad multa. Unde querit dominus de
ea a nobis: Quid videbitis in Sunamite nisi choros castrorum?
Chori cantant, castra pugnant. Quasi diceret: tamen reputa-
te Mariam quasi omnes choros angelorum cantantium et omnia
castra sanctorum contra carnem, mundum, demones pug-
nantium. Sic et beati angeli estimabant eam. Et in as-
sumptione eius dixerunt: Que est ista que progreditur quasi au-
rora etc. Illis in purgatorio est quasi aurora quia sicut
aurora ducit nos de tenebris ad lucem sic
ipsa ducit de purgatorio multos sedentes in
tenebris ad claritatem eterne lucis. Nobis vero
in mundo est quasi luna que inter planetas est terre
vicinior, sic ipsa peccatoribus misericordior. Sanctis
autem in celis est quasi sol. Nam sicut sol omnibus sideribus
celi est clarior sic ipsa omnibus sanctis et angelis
luminosior. Sed demonibus terribilis ut castrorum acies ordinata
quia sepe deprédatur eos in peccatoribus quos secure
videbantur detinere. Ideo cum fiducia accedamus
ad eam. Tante enim liberalitatis et misericordie est quod
fideliter eam invocantes non deserit sed veniam in pre-
senti et gloriam obtinent in futuro. Amen.

Ecce virgo concipiet. Require infra
post assumptionem virginis.